

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7 1/2.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN ITALIA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.

ROMAE, Via Santa Chiara, 20-21.

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

LONDON W. — 28, Orchard Street.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS

AMERICAE SEPTENT.

Apud COMMISSARIAT OF THE HOLY LAND.

IN CANADA

ET NEWFOUNDLAND

NEW YORK, 143 w. 95th St.

NEW YORK (U. S. Americ.), 143 w. 95th St.

IN BELGICA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.

BRUXELLES, Rue de la Montagne, 52.

LUGDUNI

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.

Rue Victor Hugo, 5

IN GALLIA

LUTETIAE PARISIORUM

LIBRAIRIE VIC ET AMAT

CHARLES AMAT SUCC.

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.

Rue Cassette, 11.

IN HUNGARIA

Apud

C. B. LIPTAY, CORRESP. DE HONGRIE

BUDAPEST, Palais du Théâtre National.

RERUM INDEX

“ PROTESTANTUM „ OPINIONES CIRCA ECCLESIASTICAE HIERARCHIAE ORIGINEM

DE STUDIO LITTERARUM GRAECARUM ET LATINARUM IN SCHOLIS

DE LIBRO VICTORIS CATHREIN CONTRA “SOCIALISTAS” EDITO

AMERICANA ATHENAEA

PUERI PRAESEPE PUERO IESU PARANTES

DE RITU APERITIONIS “PORTAE SANCTAE”, IN UNIVERSALI IUBILAO MCM

FRIDERICI II ET NAPOLEONIS MILITARES INSPECTIONES

NOVA RATIO INTEGRANDI ET SERVANDI CORPORA MORTUORUM

LOLLIUS SIVE DE PROVETA LATINITATE

AUTOGRAPHA COLLIGENDI STUDIUM

INSTRUCTAE IN ANTARTICUM POLUM NOVAE EXPEDITIONES

VIRGINI PARITURAE

ACTA SANCTAE SEDIS

ANNALES

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

LIBRORUM RECENSIO

AENIGMATA

In tertia operculi pagina: X

PER ORBEM

VARIA: Quid inter feles et homines? — Nova carbonis species — Adamantini dentes

Fr. Card. Segna.

H. D. V. Pieralice.

R. Spina.

D. Tamilia.

Maurus Ricci.

F. C.

Hersilus.

H. Lambiasi.

P. Angelini.

Laelius.

A. Costaggini.

Fr. X. Reuss.

Th.

Poplicola.

Scriba.

A. B.

Indus.

Fr. A. Gereaud.

H. Lefèvre (Avr.).

P. d. V.

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCII

M DCCC XCIX

VIXX
PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
Commentarii VOX URBIS anno MCM

Premium annuae subnotationis est: in Italia Lib. 10;
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7 $\frac{1}{2}$
recto tramite mittendum
ad **Aristidem Leonori** equitem, commentarii ipsius possessorem et administratorem
ROMA - Via Alessandrina, 87

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA

Inter eos omnes, qui die XV mensis Martii MDCCCC inter commentarii socios numerentur,
sorti committetur sacro Paschatis Resurrectionis die eiusdem anni

Theca Aurea Pulveri Nicotiano Asservando

qua SS. Dominus PIUS Papa IX f. r. utebatur, prout ex luceolento constat in scriptis testimonio

Qui primum nunc nomen dederint, premiumque subnotationis solverint uti supra, *Vox Urbis*
commentarium accipient ad ipso subnotationis die usque ad expletum annum MDCCCC, iisque
donum erit

URBIS A IANICULO MONTE PROSPECTUS

late magnus (m. 1.10 X 0.24) et visu decorus.

Sociis qui subnotationem renovabunt dono dabitur

LIBER (vulgo "Album") PRAECIPUA URBIS REFERENS

pulcritudine insignis atque, commentarii moderatore iubente, expresse conflatus.

Denique illis inter socios, et recentes et veteres, qui tres in Italia, vel binas ubique extra Italiam
subnotationes novas comparaverint, earumque annum premium recto tramite miserint ad commentarii
administratorem, optio erit unius ex his XXXIII quae sequuntur, quod gratuito pariter habebunt:

I. . . . Aristotelis De arte poetica liber. Rec. GUILELMUS CHRIST.	VIII. . . Xenophontis. Expeditio Cyri. Rec. A. HUG.
Id. Ars rhetorica. Ed. A. ROEMER.	Id. Historia Graeca. Rec. O. KELLER.
Id. Quae feruntur Magna Moralia. Rec. FR. SUSEMIDL.	Id. Institutio Cyri. Rec. A. HUG.
II. . . . Fabulae Romanenses graece conscriptae ex rec. et cum adn. A. EBERHARD.	Id. Commentarii. Rec. W. GILBERT.
III. . . . Homeri Carmina. Ed. GUIL. DINDORF. (Voll. 2).	Id. Scripta minora. Rec. L. DINDORFIUS.
IV. . . . Metrologicorum scriptorum reliquiae. Ed. FRIDERICUS HULTSCH. (Voll. 2).	IX. . . . Novum Testamentum. Graece ed. PH. BUTTMANN.
V. . . . Patrum Nicaenorum nomina graece, latine, syriace, copice, arabice, armeniace. Edd. H. GELZER, H. HILGENFELD, O. CUNTZ.	X. . . . Augustini (Sancti Aurelii) De civitate Dei lib. XXII. Iterum rec. B. DOMBART. (Voll. 2).
VI. . . . Plutarchi Vitae parallelae. Rec. C. SINTENIS. (Voll. 5).	XI. . . . Caesaris C. Iuli cum A. Hirti aliorumque supplementis: Commentarii de bello Gallico, de bello civili, de bello Alexandrino, de bello Africo, de bello Hispano. - Fragmenta. Rec. B. KÜBLER et Ed. WÖLFFLIN. (Voll. 3).
VII. . . . Strabonis Geographica. Rec. A. MEINEKE. (Voll. 3).	XII. . . . Ciceronis M. Tullii Opera rhetorica. Edidit FRIEDRICH. (Voll. 2).

(Sequitur in tertia operculi pagina).

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7½.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

“PROTESTANTUM,, OPINIONES CIRCA ECCLESIASTICAE HIERARCHIAE ORIGINEM

SAECULO XVI. a pseudoreformatoribus probrum Ecclesiae Catholicae obiectum praecipue est, eam a primaevi suo statu in transversum actam, ambitione praesertim et astu Pontificum Romanorum, qui ignorantiae tenebris, quas Barbarorum irruptiones per Europam media aetate offuderant, impotenter abusi, illam exinde vitiorum omnium sentinam effecerint. Curandum itaque Ecclesiae Christi sordes, quibus inquinata fuerat, abstergere, et in pristinam formam decusque restituere. At postmodum quum sacrarum antiquitatum vestigatores, quos illi abusus et recentius invectas corruptelas traduxerant, ostenderunt iam antiquius in Ecclesia aequa obtinuisse, opugnantium acies in duo velut agmina diducta est. Altera Rationalistarum, qui revelationem omnem supernaturalem, et ipsorum sacrorum librorum inspirationem, quibus unice eorum antesignani fidem niti volebant, penitus reiiciunt, aut etiam origines christianas ad mythos fabulasque amendant.

Alii vero cum absonum, ne vesanum dicam, hoc ipsis videretur, aliam inierunt viam; scilicet Christianam Ecclesiam aiunt sectam a Iudaica religione divulsam, et veluti abstractam, initio informem adhuc et incompositam, pedetentim vero et veluti per gradus, iudaicis ritibus aliis servatis, aliis reiectis, et etiam aliis noviter inventis, sub saeculi II. finem, in eam formam speciemque coaluisse, quam universim et quoad rei summam hodie adhuc servat.

Speciatim vero quod episcopale ministerium attinet, eius originem et ortum ita fere describunt.

Cum Apostolorum praedicationi plures fidem adhibuerint, in amplis praesertim civitatibus plura itidem constituta sunt loca, sive in privatorum domibus, sive in aedibus huic usui addictis, in quae fideles convenienter religionis officia explore, coetus moderante aliquo praeposito aut rectore vel ab Apostolis ipsis constituto, aut quem aetas, virtutes, merita, praesertim commendarent.

Quamvis porro plures ita per urbes constituerentur particulares ecclesiae, eae tamen omnes ad unam eamdemque universalem Ecclesiam Christi pertinere, illiusque totidem veluti membra et partes esse censebantur. Quo factum est ut singularum ecclesiarum praepositi simul consilia agerent, et vicissim rationes atque argumenta sibimet communicarent, quibus melius prospici fidelium commodis atque utilitatibus

posset, quae praescribere, quae vetare, quae cavere, quasve universim rationes inire satius esset, quae in commune ecclesiarum bonum vergerent. Pronum vero erat ut in huiusmodi conventibus collegae primas partes praepositis illis darent, qui rerum gerendarum peritia, sapientia, prudentia ceteris praestare viderentur; qui exinde, maxime ingruente persecutionum aestu, ea quae communi consilio decernere censuerant exsequutioni mandari curarent prospicerentque. Procedente autem tempore maior pedetentim his praesidibus attributa est potestas, quae exinde veluti per gradus ampliorem praeceteris collegis dignitatem praeseferre visa est; donec tandem vel mediante vel labente altero vulgaris aerae saeculo, illorum munus velut peculiare et supereminens quid haberi coeptum sit, et episcopatus nomine discretum a communi collegarum officio, qui in inferiori presbyterorum gradu exinde vice versa censeri cooperunt. Quapropter inter hodie appellatos episcopos et presbyteros nullum initio intercessisse discrimen, usu tantum et consuetudine posterius inventum.

Potestatem vero ipsam sacerdotii aut presbyterii quod attinet, est inter eos opinionum diversitas. Alii enim in toto Ecclesiae corpore, plebe, si ita loqui fas sit, residere aiunt, a Christo collatam, eiusque arbitrio commissam; ut in presbyteri munus et officium rite legitimus constitutus quis habeatur, qui in ipsum electus assumptusque a fidelium coetu fuerit, potestate ab his in quibus praecipue, et quasi fundamento residet, in illum derivata. Aliis, Anglicanis praesertim, *democratica* haec Ecclesiae *constitutio* minime probatur; quare legitimam etiam missionem in sacerdotale munus postulant, quae etiam per ritum quendam sacramentalem conferatur; quin immo ultra etiam catholicae sententiae fines nonnulli excedunt, ut consecratione illa nedum ordinis sed etiam iurisdictionis potestatem conferri autument.

Haec opinionum summa et compendium censeri potest, quae penes «Protestantes» vagantur, qui aliquam sacri ministerii umbram servare adhuc videntur; singularum vero sectarum varietates persequi longiorem quam praesentis loci sit orationem postularet, quippe dici revera queat quot capita, tot esse sententias. Attamen, etiamsi in his sistamus, implexam satis esse controversiam, quam versamus, appareat, quaeque in haec praecipua capita dispescitur: 1º Quod spectat

ipsam ecclesiastici regiminis originem et sedem, utrum Christus Dominus potestatem regendae et administranda Ecclesiae cuidam speciali sacro coetu legitima missione collatam voluerit, an illam potius universo fidelium corpori insitam ac quodammodo intextam, a quo deferretur in eos, quos ipsa fidelium plebs ad munus eligeret, ad eam fere rationem qua in democraticis rebus publicis auctoritas a populo in magistratus derivatur.

2º Ex quo consequitur nec opus esse ad munus ministeriumque in Ecclesia assequendum initiatione aliqua sacra aut sacramentali, sed satis esse electionem et personae designationem a fidelium coetu fieri, ut hoc ipso quis auctus potestate regendae administrandaque Ecclesiae censeri debeat.

3º Ex adverso qui aliquod a Christo speciale ministerium regendae Ecclesiae constitutum autem, volunt tamen nullum initio rei christiana intercessisse discrimen inter episcopos et presbyteros, quod posterius abusu aut ambitione inventum affirmant. Ipsi enim ultro fatentur, nec enim negare possunt, quum ex historia evidenter constet, pluribus iam inde a saeculis, et saltem altero labente, in Ecclesia eadem forma ac in praesens sacram Hierarchiam initiatione quadam sacra constitutam, triplici gradu et ordine, scilicet episcopis, presbyteris et ministris constantem.

Quapropter controversia revocatur ad ipsam a Christo factam institutionem, utrum scilicet Ecclesia ita a Christo constituta fuerit, ut non nisi penes eos qui fuerant ab Apostolis praepositi, aliosque illis legitima ordinatione succedentes, paucis, penes episcopos, potestas esset eam regendae et administranda. Quae quidem quaestio soluta prorsus iam dici deberet. Cum enim constet Apostolos in Evangelii praedicatione hanc constanter tenuisse methodum, ut munus sibi collatum aliis, ab ipsis delectis quos in suum locum subrogabant, manuum impositione concederent; potestas regendae Ecclesiae non nisi iis qui legitimate per sacram initiationem Apostolis successerint collata censeri potest, scilicet episcopis.

FR. CARDINALIS SEGNA. (1)

(1) Quod Emus. Vir pro sua benignitate concesserit ut excerptum hoc ex eius opere cui titulus *De Ecclesiae Christi constitutione et regimine*, quod sub prolo est, heic vulgandum daretur, Vox Urbis grates referit.

**DE STUDIO
LITTERARUM GRAECARUM ET LATINARUM
IN SCHOLIS**

IURB diebus nostris aliquid in eos prolatum est, qui adolescentes omnes penitus a disciplinis graeci latini sermonis avertere nituntur, et iis tantum addicere, quae mathesim et physicam redolent, omnesque sint in philosophandi illa ratione, quam *positivismum* appellant.

Dicentibus autem et scribentibus non modo nemo infamiae notam inussit, quod superioribus annis proculdubio futurum fuisse, sed plures immo fuere, qui eos et probe cogitasse, et libere dixisse confessi sint.

Sero sapiunt Phryges! fortasse quis exclamavit; nobis autem dicere liceat: quodcumque fuerit, semper optimum esse tempus, quo tandem aliquando aberrantes resipiscant. Atque utinam ea contentionem utantur in redditu, qua excedentes a recto sunt olim usi! Utinam nunc subversa restaurent, qua iam inde celeritate vastarunt!

Libri grammaticales illi, quibus elementa latinae graecaeque linguae tradebantur, saeculari experientia probati, tribus, aut quatuor ad summum annis tirones dabant compotes et quaeque interpretandi et quaeque exponendi. Qui nunc sunt praefatus, perpetuis octo annis et ultra non praestant idem. Quanam de causa? Numquid non idem nunc caelum, solum, cerebrum, sanguis, ingenium, animus, indoles? Numquid arcano morbo degeneres facti sumus?

Nisi prius ista ostendantur atque probentur, dicam non esse in magistris vitium, sed in modo impertiendae doctrinae, non esse in adolescentibus morbum, sed in ratione disciplinae.

Neque tamen is ero, qui omnia horream et suquam et detester, quae saeculum hoc studiis prae-sertim grammaticalibus addidit; id tantum velim, ut exiguo spatio grammaticalibus coactis regulis, quibus satis superque est duplex annus, memoriae, quae tanta in pueris et in adolescentibus est, maxima scriptorum veterum copia mandetur; tantum enim scimus quantum memoriae mandamus. Prae ceteris autem reiecta velim, ut alias adnotavi in hoc commentario (1), ea, quae dicuntur *exercitationes*, quibus proponitur pueris vel aegra quaedam et, praeciso undique sororum comitatu suarum, solitaria propositione, interpretanda notis iubentibus; per singulas libri grammaticalis paginas pererrans. Utquid haec temporis iactura? Aedepol! Ut ad unguem, et rotam et limam seu Tullianam seu Livianam, seu cuiusvis, quisque ille fuerit, concinnetur.

Quasi graecum, quasi latinum eloquium ita miserum, angustum, exile, egenum, exiguum sit, ut data propositio, data periodus, recte confici illo tantum modo potuerit; quasi Livius, quasi Cicero, quasi Homerus, quasi Demosthenes in omnibus et singulis semper *optime*, non interdum *bene* tantummodo scripserint; et quae non scripserint, ea damnata aut errata penitus ducenda videantur.

Atque est insuper in hisce modis et conditionibus malum, immo nefas, et fere dicam germinantium mentium infanticidium.

Dominum linguae mentibus hoc modo non damus, sed crucifigimus animas linguae. At contra qui recte vult, et ornate dicere, non inservire linguae debet, sed lingua debet dicturo inservire. Puer itaque, adolescens, dominus linguae sit, eamdemque cogat ad ea delineandā et exprimenda quae cogitat; non ipse cogatur ad ea tantum proferre, quae tuit exiguus ambitus, angusta crux, cui fuerit affixus.

(1) Cfr. ann. II, n. XXI.

Quapropter, amotis omnibus vinculis, libera puero, libera adolescenti sit via qua verbis, nominibus, adverbii propositionem sibi conficiat indoli suae respondentem, respondentem scriptoribus, quos praefatus habuerit.

Nulla vero interpretandi potestas cuique, nisi libera cuique sermonis dominatio; hanc autem adipiscimur non servilibus usi moribus, sed ingenuis, sed civilibus. Non lingua teneat nos angustiis suis quodam quasi limite circum designatis, sed teneamus nos in potestate nostra sermonem, qui sequatur mentem nostram sua iubentem exprimere, et cui tantummodo in iis conformabimus, quae de latino aut graeco interpretabimus.

Quod uti fiat et facile fiat plane video proprius, ac dico uti sentio.

Optimum duco - idque iterum atque in perpetuum iterabo - si vel ab exordiis pueri in schola latinis assuecant verbis, nec in latina schola aliud sit praeter latinum eloquium. Balbutient primo; non nego; insta, brevi loquentur.

Rursus optimum duco si magister, lecta pagina libri, puta Caesarem, explicaverit per summa capita periodos, historiam, dicendi modos. Post haec de singulis verbis rationem ponat, idque proponat adolescentibus quasi ad certamen, scilicet unde verbum, vel nomen, cui ex patro sermone respondeant, quomodo adverbium in adiectivum transire possit; quo pacto adiectivum in adverbium; quo modo periodus et propositiones illae immutentur si directae in indirectas, si indirectae in rectas; quo denique modo aliis possit vocibus propositio illa confici, quae idem significet, etsi idem non sonet.

Haec itaque mihi videntur maxime opportuna, ut pueris fructus adsit e studiis maximus, ut sit magistris e laboribus diuturnis iucunditas, ut parentibus denique, patriae, pueris omnia e scholis mira felicitate benevantur.

H. DE VECCHI-PERALICE.

**DE LIBRO VICTORIS CATHREIN
CONTRA "SOCIALISTAS" EDITO**

CONATUS omnes et vires quae sunt hactenus im-pensae, ut universales quaedam formulae et leges redigerentur a scholae illius asseclis, quibus *socialistas* placuit se appellare, irrita semper et inania evasisse proculdubio dicendum est. Socialistarum enim schola in plures variasque doctrinas distribuitur iuxta nationum indolem in quibus effloruit, vel ingenia philosophorum qui illas exposuerunt, ita plane, ut, non aliter quam in Luterano schismate, tot eius systemata quot asseclae habeantur.

Et profecto ab anno usque 1875, hinc Marx inde Lassalle fautores edicto visi sunt consensisse, quod est a *Gotha* nuncupatum, ut sua doctrinae communis formula sibi praesto esset; at cum primum ipse Marx hanc acriter obiurgasset, atque, eo mortuo, Engels diligenter commentatus esset, Germani socialistae eius revisionem petierunt, qua quidem in coetu ad Erfurt habitu peracta, nova declaratio conflata est, Marx fautoribus praefatus Lassalle asseclis omnino favorabilis.

Habemus autem ad rem ipsos confitentes sectarios, quorum legatus alter Bebel coram coetu Hanoveriano recens habito universo haec audacter et impie simul est fassus: « Schola haec nostra dogmata nulla retinet; de operariis mercede iam ter suas opiniones commutavit; seditionis attamen factio man-

sit semper. Nam nisi honesti ordinis cives suis dominis expolientur, metu nostram nunquam assequemur. Imo, veluti iam saeculo XVII bona ecclesiarum direpta sunt et servitudo abrogata, ita pariter agendum hodie est, ut ad rationem quibus divitiae gignuntur, vel ad earum aequam partitionem omnes perveniant ».

Atqui in tam diram atque nefastam doctrinam nullus ferme euulgatus fuit hactenus liber, qui, veluti opus a Victore Cathrein conscriptum (1), mole exigua tantam sapientiam contineret, atque vesanas inimicorum opiniones tanta vi refelleret. Quapropter ad philosophicam dignitatem, sive argumentorum copia, sive ratiocinandi peritia, liber consurgit; nec aliter ferme evenire potest, quoties, erroribus et fallaciis, quae sapientiam nonnisi specie ostentantur, evangelicae doctrinae documenta candide et ordinate opponuntur.

Igitur cl. auctor socialismi historiam primum enarrans, inanitatem eius evincere contendit, et enucleata diligenter doctrinae definitione, atque eius adsinitate cum scelestae factione, quam *Communismum* dicunt, optime indigitata, hodiernae eius propagationis vices et causas acute investigat. Quarum profecto una est omnium potissima, hodiernus artium mechanicarum progressus, quo, multiplicata in industriis quibusvis officiis ferrea machinarum opera, privatus operariorum labor suffectus est, eorumque ingens multitudo coacta, ut sese in urbes reciperet; at brevi immigratio haec, necessario veluti fato, malum illud reipublicae protulit, *proletariatus* nomine omnibus notum. Sed, dum nemo negat, ex hodiernis societatis conditionibus, malis omnibus laborantibus, maximam reipublicae quaestionem manere solvendam, multum abest contra quin societas hominum sit ab imis fundamentis evertenda, et quasi pecudum more, absque fidei et religionis et familiae officiis, instauranda.

Nec mirum sane est, eo scelestae vesaniae fautores novi ordinis pervenisse, cum documenta recognitentur Marx illius Germanici celeberrimi, qui veluti sectae conditor, prout ea hodie est, habetur. Etsi enim Saint-Simon vel Fourier amentia deliria prætereamus, vel a Blanc et a Lassalle et a Rodbertus insana effata, quarum recensio nimis longa hic sit, memorandum ducimus, conceptum a Marx sua doctrinae ordinem e philosophia historiae *materialistica* ortum fuisse. Orbis enim, iuxta eius sententiam, nil est aliud quam materiae cumulus, qui perenniter evolvitur, ita ut aeternum nil sit in eo, nisi haec infinita vices et permutatio; quo etiam factum est, ut tum Marx, tum Engels, qui eum sequutus est, Feuerbachii philosophiam, dualismum spiritum inter et materiam adversantem, maximo gudio excepissent.

Verum planum omnibus fit quam longe huiusmodi doctrinae aberrent a quaestione illa de civilibus ordinibus innovandis proposita; attamen, eo adamus sim consilio sunt quasi ad fundamentum susceptae, ut a spiritualibus omnibus curis homines abducantur, eorumque societas nonnisi materiales res aestimaret et in pretio haberet.

Heic tamen succurrit qua valida ingenii et doctrinae copia est instructus Cathrein clarissimus, cuius nimur libri pars secundo et tertio capite comprehensa, ea est ferme in qua eius mens præfulget maxime; nihil enim luculentius legi potest acri illa critics subtilitate qua socialistarum doctrinas ipse oppugnat atque refutat, et erroneous ipsum earum fundamentum evertit omnino. « Etsi, enim », scribit, « omnes homines aequales sint præcipuis in-

(1) P. VITTORE CATHREIN S. I.: *Il socialismo. Suo valore teorico e pratico* (Augustae Taurinorum edid. Fr. Bocca).

cives suis dominum
unquam assequuntur
eona ecclesiarum
ita pariter agen-
tibus dicitiae gi-
tationem omnes

stam doctrinam
liber, qui, veluti
(1), mole exi-
que vesanas ini-
et. Quapropter
argumentorum
consurgit; nec
rribus et fal-
e ostentantur,
dide et ordi-
primum enar-
et, et enucleata
eius adfinitate
sum dicunt,
igationis vices
profecto una
um mechanici
in industriis
pera, privatus
mque ingens
eret; at brevi
malum illud
omnibus no-
nis societatis
us, maximam
lam, multum
ab imis fun-
more, absque
stauranda.

resaniae fau-
menta reco-
ni, qui veluti
abetur. Etsi
deliria praef-
Rodbertus
nga hic sit,
rx suae do-
materialistica
tentiam, nil
nniter evol-
aec infinita
est, ut tum
t, Feuerba-
nter et ma-
ceperint.

nge huius-
de civilibus
eo adamus-
susceptae,
abducen-
s res aesti-

enii et do-
imus, cuius
te compre-
praefulget
st acri illa
trinas ipse
um earum
im », scri-
cipuis iu-

. Suo valore
Bocca).

ribus et officiis, ita ut, quovis tempore aut loco, vitae necessaria et ius libertatis unicuique debeantur, non eadem tamen sunt omnibus ad vitam tolerandam praestanda. Ex iis enim quae sunt inter singulos disparates natura constitutae, iurium et officiorum maxima differentia exsurgit». Quo itaque totius doctrinae fundamento labefactato, illusiones facile corrunt; eae praecipuae quae exoriuntur ex nimio prefio materiae viribus in vita adscripto, et inter aberrationes socialistarum maximae sunt, uti leges de operariis mercede, de laborum et munierum divisione, de familiaribus vinculis resolvendis. His omnibus ad examen diligenter revocatis, et singulatim perpensis, merito concludit auctor, sententias omnes quibus doctrina haec innititur, esse omnino fallaces et absurdas, ita ut non modo splendidas promissiones, quibus rudium mentes ad se alliciunt, explore nunquam eius fautores valeant, sed potius nefaria quadam vi polleant in christianam culturam protinus delendam, atque hodieras plebes inter densissimas barbariae tenebras iterum mergere minitentur.

R. SPINA.

AMERICANA ATHENAEA

CUM noster hic commentarius doctis viris latini-
tatis cultoribus non minus quam iuvenibus, qui litteris et bonis artibus operam dent, scriptus sit, nihil mirum est, si saepe de athenaeis locuti sumus; nam et ipse de catholico athenaeo Insulensi pauca scripsi, et Costagginus, collega meus humanissimus, de Germanorum athenaeis plurima disseruit. Nunc de americanis athenaeis aliquid dicam.

Incredibile est quam brevi tempore ea emer-
sint: ita autem florent eaque sunt vi et sollertia, ut Rodius (1), qui nuper ea invisit, non solum de iis bene sperare, sed etiam confidere possit maiora futura quam cognita iudicaverit.

Rationem, qua europaea athenaea continentur, sequuntur, propereaque antiquum cultum et humani-
tatem Europae cum Americae cultu et humanitate recentiore coniungunt. Nam quae in athenaeis traduntur nullus populus, licet mentis acie praestans et celeritate ingenii, neque gignere neque invenire brevi tempore potest: quandam quasi continuatio-
nem seriemque rerum constituunt, quae in dies cre-
verunt. Qua de causa apud Americanos athenaea summo in honore sunt.

Quae omnia Americanorum indolem, ut ita dicam, quasi praeferre videntur; quin etiam suam quodque personam (sit venia verbo) tenent. In athenaeis enim, quae Novi Eboraci et Chicago in urbe sunt, ita iu-
venes instituuntur, ut ad agendum potius quam ad iudicandum parati esse videantur; contra in ceteris athenaeis iuvenes in veri investigatione et medita-
tione quam maxime versantur; praeterea in athenaeo, quod Chicago in urbe est, a studiis, idque mirum, nulla fit intermissione. In athenaeo autem Ithakensi; quod Cornell appellatur, non solum latinae litterae et graecae traduntur, sed etiam praecepta et insti-
tuta agriculturae; prope bibliothecam multae sunt officinae, in quibus artes edocentur: in his vel etiam ars lactis purificandi, conficiendi casei.

Quibus ex rebus facile appareat apud plurimos Americanos quaestionem de artificiis et quaestibus qui liberales, qui sordidi sint, nullam esse.

(1) Cfr. commentarium, qui inscribitur *North American Review*, mens. Sept. 1899.

PUERI PRAESEPE PUERO IESU PARANTES

*Laeta dies natalis adest, natalis Iesu:
O pueri, puero tecta parate Deo.
Huic praesepe satis, foliis muscoque virescens:
Eia age, quisque libens aggrediatur opus.
Porticus ampla patet, clarum cui nomen ahena
Sus, Florentinis bellua grata, dedit. (1)
Gypsea pastorum manet hic vos turba frequentes;
Non uno quisquis veneat asse magis.
Est qui capones fert binos raste revinctos;
Eia age, da nummos, hunc tibi tolle, puer.
Tolle senem, qui duxit ovem pleno ubere laetam,
Iamque salutator stat sine pileolo.
Est qui fert humeris balantem molliter agnum,
Iucundum aspectu, vellere candidulo.
Da nummos, puer; excussae feret annua patris
Cras magnum perae sportula (2) subsidium.
Est anus infantil mala et silvestria corna
Praebens; hanc etiam tu bone tolle puer.
Non pretii hinc disces, at magni pondus amoris
Iusta in sideribus pendere lance Deum.
Lumine torvus adest Herodis miles iniqui,
Iam iam extollens in brachia filiolum;
Filiolum lapidi, quem mox impinget, amantis
Ablatum heu caris matris ab uberibus.
Horum tu binos, ad summum tolle quaternos,
At procul hinc iubeas ire per excubias.*

*Ante micent oculos cunabula sancta pueri,
Quem calescunt bos et asellus bient.
Hinc dulce arridens genitrix suffusa pudore
Adsideat gnatum Virgo puerilla Deum.
Hinc cana insignis barba canisque capillis
Et gnati et matris tutor adesto, Ioseph.
Haec praesepe super lucenti inscripta papyro
Spectatum admissi coelica verba legant:
« Gloria in excelsis tibi sit, Deus, atque beata
Pax homini in terris, qui bona summa cupit ». (3)
Tota suos pueros huc dein vicinia mittat;
Aut amita, aut mater sedula ducat eos.
Tum quisque alterne patrio sermone renarret
Humanum ereptum iam genus a tenebris:
Nam « nocte hac media nobis est parvulus ortus,
Cincinnis pulcher, candidus atque ruber ». (4)
Haec aviae circum auscultent, proavique sedentes,
Mutua dum pyxis pulvere nasa foveat.
Plaudent, atque dabunt vestrum bellaria cuique,
Sacchara, castaneas, parvula liba, nuces,
Passam uvam, strobilos: addentur amigdala dulcis,
Salgama de vaso prompta, Iacosa, (5) tuo;
Et piperata Ceres, conditi et melle caballi,
Tusca quibus tantum dat sibi Sena decus.
Florentiae.*

MAURUS RICCI S. P.

(1) Vernacula lingua *Le logge del porcellino*, ubi gypsea pastorum simulacra etiam nunc veneunt.
(2) Munusculum, quod Florentini appellant *Il ceppo*.
(3) Mos est, quum pueri Christo Iesu praesepe instruant, ea sacra verba inscribendi: « Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bona voluntatis ».
(4) Ita incipit vernacula lingua naenia quedam, quam pueri florentini ante Christi praesepe recitant.
(5) Notus ille in Italia dulcarius, cognomine Giacosa.

Athenaeorum autem aedificia, uti Novi Eboraci, uti Philadelphiae, ita perfecta habentur, et ita iis instrumentis, quae ad docendum maxime necessaria et accommodata sint, praedita, ut quivis Europaeus, qui ea inuisat, facere non possit, quin magnopere obstupescat. Quod totum contra est apud nos, qui antiquis aedificiis pro temporis necessitate et discipulorum multitidine restauratis atque amplificatis contenti sumus.

Tamen quod ad doctores pertinet, hoc anum Rodius animadvertisit, quod cum multam operam conferre debeant in res comparandas, quas discipulis tradant, tempus nullum habent; novies enim vel de-
cies in hebdomada acroasis facere coguntur.

Discipuli autem mirabiles amores excitant sui; animosi enim sunt et alacres; in iis summa iucunditas et mira quaedam gravitas, quae potius maturae aetatis est. Sed ne nimia mentis agitatio damno sit, multa oblectamenta ad corporis valetudinem et vires in otio adhibent. Eorum enim omnis actio in ludis palaestrae et in fabulis agendis sive graecis sive anglis versatur. Incredibile est quantam vim, quantam levitatem, quantam celeritatem in ludis praebeant; tamen fortes illi iuvenes multam operam in litterarum et doctrinarum studium conferunt. Quam dissimiles sunt iuvenis litterati, quem nos consumptum, morbosum, gravem et lento pede incidentem fingimus, quique olim magno in honore erat!

Plurimi autem, consilio eorum qui nimis tempe-
rantiae student, potionibus fermentatis nullis utuntur; quod Rodio displicet; nam aliud est iis uti, aliud abuti. Sed « mos et regio », uti est in proverbio; nam ex americanis iuvenibus etiam qui aqua tantum utuntur, sunt alacres, fortes, et amoeni.

Quum res ita sint, nullum est dubium, quin Ameri-
cani ex athenaeis uberes fructus sint comparatur.
Quod nobis magnopere in votis est.

D. TAMILIA.

DE RITU APERITIONIS " PORTAE SANCTAE ", IN UNIVERSALI IUBILAEO MDCCCIC-MCM

A vigilia in vigiliam Dominicae Nativitatis Summus Pontifex Leo Papa XIII, ad exitum xix saeculi delabentis Deo consecrandum, idemque initium xx saeculi, Annum Sanctum indixit, qui vigesimus primus inter annos huiusmodi numerabitur. Annum Sanctus ab anno Iubilaei magni, prouti sacra monumenta tradunt, originem et nomen assumpsit. Apud Christianos Annum Sanctus inde vocatur illud universale Iubilaeum, quo suos quisque mores corrigens, animum ad sanctitatem vitae sublevat, ut in iura redeat hereditatis aeternae; ideoque etiam Annum Remissionis vocatur.



Indictio universalis Iubilaei Anni Sancti MCM
in pronao Vaticanae Basilicae. (Photographice expressit nobilis vir C. TENERANI).

Hic neque de sanctis huiusmodi annis peractis, neque de spatio temporis quo intercidere divisi, loquemur. Satis hac in re tantummodo sit nostris lectoribus dicere Bonifacium VIII f. r. Pontificem, primo apostolicis litteris solemniter datus, Iubilaeum constituisse in annum MCCC.

Hinc eo tempore quotquot in orbe terrarum fideles Romanas visitarent ecclesias, indulgentiam, operibus ad merendum patratis, plenariam consequebantur.

Ritus autem solemnis, quo Portae Sanctae aperiuntur, et ordo ille, quo servato Christifideles indulgentiam illam adipiscabantur, Bonifacio IX tribuitur, atque etiam lata pro iis lex, qui Romam petere nequivissent, dummodo nonnullis satisfacerent, quae praecipiebantur.

Causa vero, cur Sancta vocetur Porta illa Christifidelibus indulgentiam optantibus patens, non una recensetur: 1^a quod per eam ingredientes ea, qua par est, mente, sanctificantur, acquirentes gratiam ac indulgentiam; 2^a quod, illa dum clauditur, lapides, lateres, calx et reliqua ad rem caementa id genus a Summo Pontifice benedictionem singularem accipiunt, ipsiusque Pontificis dextera sanctum inchoetum opus ad claudendum, prout ab ipso similiter opus inchoatur malleo ad aperiendum.

De ritu autem caeremoniisque aëgustis, quibus panditur ac obstruitur, breviter quoque dicemus, quem praesertim solemnitas, ratione temporum, aliquantulum immutetur.

Prout factum est, in Ascensionis D. N. I. C. festivitate Annus Sanctus « Abbreviatori Curiae » cappa induito, a S. Pontifice benedictione recepta, promul-

gandus datur. Hic, « Praelatis » plurimis comitantiibus, descendit in basilicam Vaticanam, et porticum recto tramite petit, ibique ex ambo, ad hoc antea parato, coram populo, adstantibus « S. Palatii cursoribus », chirographum pontificium de Anni Iubilaris inductione legit. Tunc datis exemplaribus litteris, cursores abeunt, magno eodem ritu, in tribus basilicis maioribus promulgatur, quarum litterarum apostolicarum exemplaria uniuscuiusque basilicae valvis affiguntur.

Quarta autem Adventus dominica, a duobus recentioribus « S. R. Rotae auditoribus », tum latino, tum italico sermone, sanctus Iubilaris Annus iterum in eadem porticu annuntiatur, Summo a Pontifice benedictione suscepta ac facultate, iterumque a cursoribus in supradictis basilicis maioribus promulgandum defertur huiusmodi annuntiationis edictum, prout superius de primo fieri notavimus.

Post haec, ubi advenerit vigilia Nativitatis Dominae, post meridiem ad vesperas Porta Sancta Vaticanae basilicae ab ipso Summo Pontifice sequenti ritu solemniter aperietur, dum illa Ostiensis per decanum sacri Collegii Cardinalium, Lateranensis et Liberiana per Cardinales archipresbyteros solemnibus pariter caeremoniis patebunt; nunc autem causis quibusdam hic ritus absolvetur a Pontifice ante meridiem, itemque ceterae basilicarum maiorum Portae eadem hora aperientur; nihil tamen a ritu prisco, praeter horam, in caeremoniis immutabitur.

Itaque Summus Pontifex, sacris accinctus vestibus, cum cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, praelatis, ordine solemnissimae pompea servato, a caeremoniarum Apostolicarum magistris indicto, ad sacellum Paulinum se conferet, ubi, adorato sanctissimo Eucharistiae sacramento, adsurgens praecinet hymnum *Veni Creator Spiritus...* cuius versiculos dum pontificii cantores modulationibus optimis prosequuntur, nobilis familia Pontificis et sacrae dignitates, quas memoravimus, ordine disponentur, ductaque pompa procedent, manu dextera cereum accensum sustinentes, adstante per transitum hinc inde universo clero Urbis tam regulari quam saeculari.

Ubi Pontifex, regiis scalis Vaticani palatii emensis, ad porticum basilicae pervenerit, paratum ibi thronum ascendet, et inde, omnibus peractis, descendens procedet ad Portam muro adhuc obstructam, ubi malleum auratum ab eminentissimo Poenitentiario suscipiet.


Hoc tradito, Summus Pontifex murum malleo primum percutiens, dicet: « Aperite mihi Portas iustitiae »; iterumque percutiens: « Introibo in do-

mum tuam »; tertio denique percutiet malleo, dicens: « Aperite Portas ». Inde Summus Pontifex, nonnullis interpositis versiculis, orationem rei propriam canet ad thronum. Interea a fabris murariis murus diruetur, quo maiori fieri silentio poterit; lapides vero, caementa et lateres, plerumque stemmatibus devotarum familiarum distincta, quae superiori Anno Sancto ad claudendam portam devote fuerunt oblata, dominis reddentur; caementa et, siqua libera sint ac nullius, saxa et lateres pietati peregrinorum ac populi servabuntur atque tradentur.

Hisce remotis impedimentis, et patente Porta, quanta est, Poenitentiarii basilicae addicti accedunt, et stipites ac limina Portae Sanctae, magna religione, abluerunt. Quibus lotionibus rite inter preces peractis, Summus Pontifex surget, orationem et versiculos cantabit, et postea descendens a throno dextera crucem super hastile eminentem, laeva cereum accipiet accensum, et in medio limine Portae Sanctae flexis genibus hymnum *Te Deum* praecinet, cui populus et cantores respondere proculdubio certabunt; sere nunquam enim Christifidelium pietas impetum propriae devotionis et religionis repressit, ut cantoribus tantummodo ea dicenda concederet, quae ipsa gestiens in corde sentiret.

Primo Ambrosiani hymni absoluto versu, Pontifex assurget, ac templum ingredietur, sequentibus ordine certo cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus nobilique comitatu pontificiae domus, populi denique christiana turba ad solemnia peregrinorum more adventante. Expleto hymno, Pontifex, qui opportune ad sacellum, cui a Pietate nomen est, iam diverterit, asidebit, et custodes Portae Sanctae adloqueretur; inde eadem pompa, qua venit, in sacellum Sanctissimi Sacramenti adoratus procedet; qua adoratione peracta, praesentibus Christifidelibus benedictionem apostolicam impertiet, indulgentiamque plenariam publicabit; tum denique in suas aedes se recipiet, quum vesperis, quae recitabuntur, fessus adesse non possit.

Magno interim cum comitatu Cardinalis decanus ad aperiendam iisdem ritibus Portam Sanctam basilicae Sancti Pauli perget, et Cardinales archipresbyteri, in consistorio secreto ad hoc legati, ad aperiendas sua quiske basilicae Sanctas Portas



Porta Sancta in pronao Vaticanae Basilicae.

procedent, hic ad Lateranum, ille ad Sanctam Mariam Maiorem.

Patebunt hae portae anno integro, nempe usque ad vigiliam Nativitatis Domini, quae anno 1900 solemnis erit. Tunc solemnii haud minus ritu claudentur, prout suo tempore in opportuno articulo enucleare posse, Deo opitulante, speramus.

F. C.

A Caeremoniis Aulae Apostolicae.

FRIDERICI II ET NAPOLEONIS MILITARES INSPECTIONES⁽¹⁾

SÆPE nostra hac aetate militaribus adesse licet spectaculis, quibus nomen exercitus inspectiones, quaeque nonnisi ad pompam institui videntur, ut

imperio, quid primæ, quid secundæ, quid postremæ aciei esset faciendum, exactisque exercitationibus, quid laude aut vituperatione dignum esset deprehensum publice profitebatur.

Ad exercitum attentissime inspiciendum ac severioribus instituendum disciplinis eadem ratione ac Fridericus ducebatur Napoleon, qui tanti id faciebat, ut decimo atque interdum vel quinto quoque die milites invisere solerent.

Ex copiis iam pridie a Consule designatis, pedites in vastissimo atrio palatii, cui nomen Tuilleries, aciem instruebant; equites et qui ex tormentis bellicis nuncupantur immanes igneos globulos evomenteribus in platea, quae vulgo *Carrosello* appellatur. Tum signa tanto apparatu singulis tradebantur aciebus, ut non pauci iuvenes e locupletibus familiis tali spectaculo excitati arma ultro caperent, quamvis asperis militiae officiis per alios satisfacere possent.

senatores, ministri, optimates, atque ipsa Consulis uxor adesserent.

Quod ad animum tum militum tum ducum erigendum quantum conferret, ut ardua quaeque appeterent ultroque susciperent, ex innumeris ac perinsignibus eluet Napoleonis victoriis. Pridie enim quam praelium ad Eylau committeretur, quum admiraretur Napoleon loricatos milites, qui strenue impressionem facerent in hostes, ducem d'Hautpoult, aciei praefectum, dignum habuit, quem publice amplectetur. Id præclari imperatoris animum magnopere excitavit, qui Napoleoni: « Ut tanto », inquit, « par efficiar honori, mihi pro te moriendum est ». Et revera postridie eius diei acriter decertando occubuit.

At vero postquam ad regiam dignitatem pervenit Napoleon, alia atque antea se gessit ratione: namque exercitum inspiciendum, reique militaris usu firmandum aliquantulum coepit fastidire, siquidem in annos



(Ex antiqua tabula aere cusa).

spectatorum oculi vestium pulcritudine armorumque fulgore oblectentur, ac prope dicam perstringantur. Sed longe aliter se res habebat tempore Friderici II, qui ad copias inspiciendas ferebatur, ut deprehenderet utrum severis disciplinis milites essent necne instituti, atque armis, viatico, ceterisque id genus bene instructi, quibus ad iter conficiendum, aut ad locanda castra, aut demum ad praelium ineundum opus fuisset. Namque recte arbitrabatur Fridericus plerosque milites ignaviae suapte natura indulgere, atque gravem armorum laborem bellique aerumnas fastidire, propterea que ducum esse nebulones ac vappas vehementer excitare, exemploque ad ardua quaque suscipienda movere. Hanc sententiam verbis abunde prosequutus est in libello, cui titulus *Momita ad imperatores*, ubi exercitum ob oculos ponit tamquam artificiosam et inertem machinam, in qua motus cieri non possit, nisi ab acribus præclarisque ducibus. Quod autem in suo libro Fridericus imperatoribus præcepit, saepissime in actum ipse deduxit, qui copias rei militaris usu exercendas firmandaque tota animi contentione curabat. Milites enim iam antea ad praelium instructos concurrere iubens, suis perspiciebat oculis, suoque moderabatur

Statuta hora Napoleon, qui vel uxori interdum erat in mora, nunquam vero militibus, equo insidens, præstantium imperatorum agmine comitante, aciem celeriter invisebat; deinde ducibus, qui singulis præeerant manipulis, accersitis, de statu militum inquirebat. Vae illi, qui Consuli sciscitanti plene perfecteque non satisfecisset! Postea quum desiliisset ex equo, omnes acies arduis iteratisque fatigabat exercitationibus: dux, aut alter a duce e Napoleonis latere iussa Consulis elata voce militibus proferebat.

Post exercitas copias, arma, commeatus, ceteraque id genus summa perspiciebat diligentia, adeo ut vel minima ac levissima nunquam ex eius oculis effugerent.

Sed acri Napoleonis ingenio eo adventum est, ut ex hac ratione inspiciendi copias maiora exercitui proficerentur beneficia, quam quae Fridericus suis compararet militibus. Etenim Napoleon, periculis in re militari abunde factis, duces ac milites comiter alloqui, iisque familiariter uti fastidio aut despactui nunquam habuit, ita ut strenuos magnis laudibus sit prosequutus, tardioresque ad gloriosa suscipienda facinora vehementer hortatus. Quin imo strenuissimi milites præclarissimique imperatores digni habitis sunt, qui ab ipso Napoleon gladio ad gloriam donarentur, splendidoque exciperentur convivio, cui

arius non modo, verum etiam celerius id, quod tanti habuerat, faciebat, adeo ut ad vanam pompam, potius quam ad copias exercitationibus instruendas Napoleon imperator prodire videretur. Quum enim antea, ut diximus, decimo quoque die milites invise consuevisset, anno millesimo octingentesimo duodecimo vix quater id suscipiendum putavit, ac duces tantummodo ad convivium in popina exstratum invitavit, cui alter a Napoleonе adsuit.

Quo factum est, ut Galliae imperator paullatim ab exercitu recederet, qui et ipse a Napoleonе desiceret.

HERSILUS.

NOVA RATIO INTEGRANDI ET SERVANDI CORPORA MORTUORUM

Q UUM mortuorum corpora vetustate dilapsa temporumque iniuriate labefactata in pristinum hand facile sit restitui, neque yittatas refici, neque commissas servari reliquias, operae pretium est hoc in commentario, ad bonas provehendas artes instituto, de opere quodam huius generis aliquid dicere quod legentium studia acuere, idemque mulcere possit animos.

(1) Conf. commun. *Revue Hebdomadaire* (Kal. Jun. 1899) et *Minerva* (Idib. Jul. 1899).

Apud Galliae Narbonensis gentem parvo in oppido, cui nomen est Des Arcs, sacellum existit, in quo Roselinae de Villeneuve, virginis religione summa et fide, ad aetatem nostram divinus tribuitur cultus. Eius corpus cum iam tempestates ferre non posset, neque propter bestiolas rodentes servari diutius, in eo iam erat, ut penitus extinctum moerore oppidanorum omnium brevi deflendum esset. Tunc supremus Patrum Cisterciensium moderator, illius gentis dolore commotus, pietatis quoque fovendae causa, de egregie invento Petri Nerii in reficiendorum corporum ratione certior factus, virum statim ad se arcessit eique munus committit in primis difficile et grave, ut virginis antiquum oris et corporis habitum lineamentaque restituat arte. Asperam sane ac spinosam esse rem haud ignorabat medicus, qui cum Romae vitam degeret, ubi etiam nunc medicinae et chirurgiae munera profitetur optime, opportunitates maximas nactus est ad ea recolenda, quae vel rei familiaris negotiis vel utriusque disciplinae officiis paululum contemnere debuit. Periculis tandem aliquando in mortuis cuiusdam coemeterii factis iisque ad voluntatem habitis, in eam venit spem, ut plene virginis corpus integrari et servari posset. Proximo inde vere initio cum Iosepho Bellonio, medico adiutore, in oppidum Des Arcs profectus est. Ibi ad operam studium curamque sic convertit, ut omnium peritorum hominum consensu plausuque rem prospere ad artis praecelta confecerit. Opera accurate perspecta declarat planissime quantum servandi corpora genus a genere differat. Nam Roselinae corpus non unguentis est circumlinitum, neque cera circumfusum aut involucris obiectum atque tegumentis, ut in antiquis erat moribus, sed fluente quadam materia delibutum, venenisque infectum, quibus, bestiolis rodentibus prohibitis, membra diligenter commissa arcteque ligata in infinitum servarentur tempus.

Quae quidem ratio facilis et plana multas habet cautions, ut eventus atque exitus rei ad mentem

4]

LOLLIUS SIVE DE PROVECTA LATINITATE

Treb. — Quorsum haec, nisi ut efficias Romanos veteres atque ipsum Tullium summam et artis et doctrinae laudem attigisse sine philosophia?

Pis. ma. — Imo hos omnes affirmo, ac nedum oratores, iurisconsultos, magistratus, imperatores, mathematicos, physicos, sed etiam pictores, poetas, grammaticos, musicos, ex philosophia, tamquam ex omnium doctrinorum palestra, prodiisse. At quoniam video vos philosophiae nomine non minus quam Tullii auctoritate quotidie abuti, exponam breviter ut potero, quid in hoc genere cum ipso summo oratorum principe sentiam.

Primum itaque sic existimo, aliud esse philosophiam, aliud instituta et opiniones philosophorum. Illa quidem sapientia est patetque latissime. Ad ipsam omnis pertinet rerum optimarum cognitione atque in iis exercitatio, quae, Tullio teste (1), olim philosophia nominabatur. Eius praecelta ita referuntur ad vitam, ut, iis remotis, ars aut disciplina cogitari nulla possit. Eam afferat naturalis quedam ingenii vis et ratio, docent litterae, confirmat communis vitae consuetudo, perficiunt discipline variae, praesertim lux illa veritatis ac vitae magistra historia. Nostra est, tuaque maxime, Trebatii, qui multis litteris polles firmoque iudicio, omnis ista prudentiae doctrinaeque possessio, quam elati quidam homines, quasi caducam et vacuam, abundantes otio nobis involaverunt deridentes litteratos. Ad ipsam enim pertinet eloquentia; ad ipsam cogitandi pronuntiandique ratio visque dicendi, quam

(1) III De orat. 72.

et artem respondeant: nobis praecepias numerare licet, quas Nerius ipse docet. Antequam, is ait, ad operam vir artis peritus admoveat manu, tria necessario praemittere debet: curet primum ut omne a corpore prorsus auferatur contagionis genus; impedit deinde quominus vel minimae in reficiendum corpus irrepant cuiusvis rei atomi; artibus demum congruenter coniunctis indoles et mores antiqui restituantur, ut non nudis ossibus cohaerentia, sed viva appareant corpora. Sunt et cetera quae in absoluta opera a nostro expleta sunt, velut monumenti locum purgare, corpus in situ opportuno ponere, arcum vitrorum crassitudine elaboratam a quolibet aeris afflatu munire, alia innumera, quae huius industriae et laboris interitum semper prohibeant.

Quorsum haec, dixerit quispiam, si mortuorum corpora manere integra apud nostras gentes mos nunquam viguit? Sit. Numquis vel blandum puerum, vel formosam mulierem, vel virum omni laude dignum etiam mortuos eodem vultu ac vivos servare nequeat? Nonne catholica religio eorum, qui omni virtutum genere in vita floruerunt, ut in beatorum numerum adscriberentur, observantia maxima et sanctimonia reliquias vel subtilissimas custodiendas curat?

Quae breviter modo exposuimus nisi ad amplificandas physicorum disciplinas religionisque nostrae confirmanda instituta conducerent, neque episcoporum et Christi fidelium in Foro Julio Tolonaeque provinciis admirationem in se ipsa convertissent, neque amplissimos commovissent doctissimosque homines, qui multis et gravibus commentariis de refecto Roselinae corpore, tamquam de re singulari, scripta dederunt.

Quoniam autem res tot tantosque incidunt animos, nostrum erat lectores docere de mire invento, quod, observatis Sacri Consilii Rituum legibus, locis in singulis, religioni plurimum prodesse posset.

H. LAMBIASI.

veteres Graeci sapientiam nominabant; quippe et dicendi et intelligendi mirificam societatem esse voluerunt.

Aliud vero philosophandi genus est, in quod selecti quidam homines quasi in tabernaculum vitae sua se collocarunt. Ex his alii, res abditissimas curiosius persequentes, videntur suo maxime ingenio ac voluptati indulgere; alii certas quasdam et constitutas disciplinas, sive scholas philosophorum sibi defendendas constituerunt, in iisque acerrime digladiantur. Quos equidem utrosque puto rem praestare omnium admiratione dignissimam; se tamen a scientiae delectatione ad efficiendi utilitatem non satis referre. Quamobrem huiusmodi studiis aptari verius opinor, quae tu paulo ante de litteris affirmabas, ea otia esse, ac si modo aliquid valeant, id valere, ut paullum acutum et tamquam irritant ingenia, quo facilius possint maiora perdiscre. Iure itaque Tullius in libro III De oratore 58 ait:

« sed ut homines labore assiduo et quotidiano assueta, quum tempestatis causa opere prohibentur, ad pilam se aut ad talos aut ad tesseras conferunt, aut etiam novum sibi ipsi excogitant in otio ludum; sic illi a negotiis publicis, tamquam ab opere, aut temporibus exclusi aut voluntate sua feriati, totos se alii ad poetas, alii ad geometras, alii ad musicos contulerunt; alii etiam, ut dialectici, novum sibi ipsi studium ludumque pepererunt ».

Nunquam igitur satis mirari desinam tuas, Trebatii, et aequalium tuorum querimonias, qui philosophiae quasi desertae et iampridem relictae patrocinium tam gloriose vobis assumitis. Cuius, quae, philosophiae? Extremae, quam dixi, desiderium profecto esse nullum potest; patet enim ad ipsam aditus in magnis athenaeis, suntque ei dediti quamplures. In lyceis vero quod primas habeant litterae, reliquae discipline secundas, id omnium gentium consensu optimum factu iudicatum est. Singulæ enim

AUTOGRAPHA COLLIGENDI STUDIUM

STUDIUM autographa scripta colligendi, etsi recens videatur et novissimae aetatis proprium, antiquissimum est, praeter quam licet pluribus suspicari. Sinenses, hoc etiam humanitatis signo, reliquos homines praecesserunt, et in maximam semper venerationem avorum manus habentes, nonnulla, quae ad vii usque ab orbe condito saeculum pertinere dicuntur, adhuc asservant, et authenticas imperatorum epistolas quovis anno diligenter collectas in publico tabulario collocarunt. Plinius junior vero auctor est sive Gracchorum, sive Ciceronis, aut Augusti, vel Vergilii scripta, propria eorum manu exarata, suo tempore adhuc extitisse. At hodie non venerationis tantum causa, sed potius ad historicas vel morales investigationes, eiusmodi scripta colliguntur. Eminebat præ certis nationibus, ditissima collectione, Gallia; at inter celeberrimae eius seditionis vices, pleraque sunt, studio partium, igni tradita; quod profecto et reliquis contigisset, nisi Greco eloquentia fuissent in legislatorum coetu defensa.

Igitur quae hodie exstant-huiusmodi collectiones bina aetatis saecula haud multo praetergrediuntur, testante Henrico Budan comite, qui ait profecto eam esse forte antiquissimam reputandam, quam Loméne de Brienne, Henrici IV regis legatus, ac deinde a publicis secretis renuntiatus, saeculo XVII labente collegerit. Eius documenta postea exscripta atque in trecentum et quadraginta volumina digesta, ut in palati tabulario asservarentur, sunt postea Ludovico XIV regi dono data.

Ditissima vero omnium bibliotheca reputanda est Vaticana illa, ad duo millia usque voluminum referta, quae epistolas authenticas Francisci Petrarcae, Raphaelis Sanctii, Michaelis Angeli Buonarroti, Erasmi, Luteri custodit. Sed et Bononiense athenaeum celebre huiusmodi thesauris recensetur; habet enim series epistolarum authenticarum satis pretiosas Benedicti XIV, Friderici magni Borussiae regis, Voltairii calamo adscriptas.

Studium vero huiusmodi scripta recolligendi non publicae tantum humanitatis causa exortum in republica est, sed et apud privatos cives exarsit, et non raro maximi ingenii viros corripuit.

Ferunt enim Napoleonem, magnum Gallorum impe-

artes aliter ab iis tractantur qui in ipsis delectati nihil in vita sunt aliud acturi, aliter ab iis qui ad generalis culturae subsidium, quemadmodum graecari mediocriter, ita etiam volunt philosophari paucis. Quod idem significasse videtur Tullius in I De oratore, quum dicit: « aliud est artificem esse cuiusdam generis atque artis, aliud in communi vita et vulgari hominum consuetudine nec hebet nec rudem ». Alia denique sunt ad cultum et humanitatem necessaria, alia insignia ad maximam laudem, quam consequuntur

pauci, quos aequus amavit
Iuppiter, aut ardens evexit ad aethera virtus.

Treb. — Verberasti philosophos fretus auctoritate Tullii, neque ab iis litteratos contemni ac despici sivisti. Nihilominus, quum romanum oratorem haud sibi constare posueris, facile te possum contrariis eiusdem sententiis refellere. Verum iis praetermissis, quia non est brevioris sermonis hoc munus neque huius antemeridianae sessionis, primum ex te quaeram, num philosophiae statum, eundem qui Tulliana aetate esse praesentem putas, an potius christiana sapientiae concedas aliquid, unde nostra haec, qua tantopere gloriamur, effloruit humanitas. Deinde, quoniam visus es regno suo velle philosophos exturbare, scire velim, num gravius aliud aut utilius quaeri possit in vita, quam quid sentire de Deo, quid de mundo maxime deceat; quae hominis origo sit, qui finis; quo sint omnia recte cogitandi atque vivendi consilia referenda. His neglectis, quid mirum quod reliqua studia humanitatis quasi fundamento destituta iaceant? Pace vestra letat, adolescentes, dixisse: cum sapientiae iactura litteras etiam perdidistis. —

(Ad proximum numerum).

P. ANGELINI.

ratoem, volumen regalium epistolarum, quae fuerant ad eum missae, magna cura adservasse; et Goethe, Germanum poetam celeberrimum, authographa quadringenta custodisse, quae inter Blucherii quamdam ducis epistolam, in tympani pelle conscriptam; denique et Metternich principem insana hac cupiditate multum flagrasse. Autem nempe illum cum Janin gallici scriptoris litteras habere frustra tentasset, Appony comitis mediatione, ab eo tandem tenuisse libellum his verbis conceptum: « Gratias agens quamplurimas testor me a Metternich principe quinquaginta vini Johannisberg phialas accepisse ». Qua chartula principem eo contentum fuisse, ut non quinquaginta quidem, sed centum eiusdem vini phialas ad lepidum scriptorem misserit.

LAElius.

INSTRUCTAE IN ANTARTICUM POLUM NOVAE EXPEDITIONES

DUM e Norvegia recens atque ex Dania celeberrimi nautae articum polum attingere nituntur, dumque ipsorum vestigia Italus Brutiorum dux calcat audacter, avida hominum cognoscendi cupiditas ignotae adhuc caliginis quae geminum antarcticum punctum involvit non obliviscitur.

Illuc enim eminus Angli atque Germani simul propiciunt puppesque in id immittere forti aemulatione decertant; quo nobilissimo sapientiae stimulo acti, coram geographicu postremo coetu Panormi recens absoluto, bina sunt ab utrisque itineris consilia proposita, alterum a Joanne Murray Anglo, alterum a Neumayer Germano doctore redactum. Maximis inde laudibus uterque cumulandus, non tantum quod facinus iniverint eximium, quam quod geographicae disciplinae necessitatibus studiose consuluerint; siquidem impar omnino atque ab oppositi poli notitia longius incerta antartici frigoris facies innotuit. Neque aliter profecto contingere oportebat; cum enim triceni nautarum comitatus nordicas regiones hactenus explorarunt, nonnisi centum meridionales tenebras perrumpere aggressi sunt.

Hiemavit quidem ultimus omnium in nocte illa antarctica De Gelarche, Belgarum nauta, ipsa cum navi, cui Belgica nomen, glacie conclusus, quae mox ad Punta Arenas promontorium, post dirupta expulsaque eius vincula, feliciter appulit, cum tamen interea quingenta et amplius millia passuum audacissimus vir recognoverit.

Nunc itaque, etsi Belgae illi laus eximia virtutis tribuatur ab omnibus, novam eamque magis diuturnam aggrediendam explorationem Angli Germanique, pactio statuta inter se, quodammodo diviserunt; Anglis scilicet ventorum flumina, procellarum praecipuae regiones, ceteraque aerea phaenomena manent primum investiganda; ac deinde loci vel modi inquirendi, quibus glacies primum coalescit, vel distribuitur in varias omnes formas quas montes, vel rupes, vel maria nuncupant (*icebergs, pack, flobergs* etc.). Humus pariter tentanda, sive quae frigida glacie facie constringitur, sive quae glacialibus undis, profunda nocte, contegitur; item geologicas, magneticas, geodeticas inspectiones adnotare oportet, marisque commotiones vel rivulos describere, et supremum tandem pro viribus enodare dubium, quod circa antarticae cuiusdam novae telluris existentiam geographos antiquorum temporum tamdiu commovit. Statutum pro tanto facinore hoc nimur videtur iter, insulam a Petro I dictam, quam Bellingshausen anno 1821 primus inspexit, attingere, ibique hiberna constituere, quibus exactis, rectiori, quo licet, tramite in polum tendere alteraque hiberna in Victoriae terra ad Adore promontorium deducere. Inde autem ad magnetici poli punctum occupandum profectio erit, atque contrario deinceps itinere in occidentales Africæ oras e converso reditus.

Germanorum contra navigia H. von Drigalsky, Groenlandiae terrae investigator eximus, reget, eritque eius praecipua pars litora omnia, quae attingentur, accurate delineare, glacialium moenium (*ice-barriers*) motus adnotare, maris profunditatem explorare atque metiri, eiusque

varios colores sedulo examinare, itemque planitarum atque animalium genera omnia, quae sive mare sive glacies incolant, singillatim describere. Ad rem vero contraria omnino Germanis addicta est via: insulam a Kerguelen anno 1772 primum exploratam attingere, atque in eius litore hibernare: inde in terram a Kemp nuncupatam tendere ad novam hibernationem explendam; postea vero recto trahere per polum transire, atque in extremam Victoriae regionis partem, re peracta descendere.

Itinera non navibus tantum sed et canibus tractis vehibus, uti assolet, absolvantur, quarum immo ope per dis-sitas circum glacies frequentes explorationes deducere licebit. Utraque autem expeditio in proximum annum instruet totiusque itineris spatium trium vel quatuor annorum futurum pro variis temporis vel locis conditio-nibus computatur. Quod faustis omnibus prosequimur.

A. COSTAGGINI.

VIRGINI PARITURÆ

*Aurorae similis cum, rutilantior,
Solem prodere nititur,
Immortale Maria
Numen, luce micantius,
Iam iam laeta parat gignere: candidum
Non exuta decus virginis integrae,
Dum materna pudico
Libat pectore gaudia.
Magnum nuper Ave nobilis audiit
Virgo, moxque pium dixit et efficax
Fiat, quo sibi prolem
Summo traxit ab aethere.
Iam divina Parens ditia protinus
Gaudet, gesta sinu, spargere munera,
Quorum prima Ioanni
Desert pignora parvula.
Hinc ad casta redux limina Nazarae,
Noctes atque dies cogitat insitum
Germen, cuius et ortum
Votis elicit igneis.
« O Lux (ingeminat), Lux mea, nascere!
Ac vos aethereum, Sidera, fundite
Rorem, quo madefacta,
Tellus germinet arida.
« O Sol, iustitiae fautor et omnium
Extinctior scelerum! deleger saeculi
Errores; tenebrosa,
Nascens, discute criminis.
« Nostris, Emmanuel, legifer advola
Oris; fac pielas, candor et inclyta,
Qua late patet orbis,
Virtus quaeque resulgeat».
Sic, quem longa Patrum vota sitiverant,
Messiam genitrix clamat, et ocios
Ardet cernere natum,
Gestit stringere brachis.
Gaudie, Mater! Onus crescit amabile
Alvi virginæ; dulcis et appetit
Nox, qua Sol animarum
Ex te prodiit aureus.
Audi: sueta Polus carmina praeterit,
Praeluditque novis, gloria Numini
Quies dicetur, et Hevae
Pax iucunda nepotibus.
I, quo te vocat urbs regia Bethlehem,
Qua non emituit clarior altera:
Hic Iesum, tua vota,
Hic cernes tua praemia.*

FR. X. REUSS.

ACTA SANCTAE SEDIS

De recentibus litteris SS. D. N. Leonis PP. XIII
circa Universale Iubilaeum an. Dni. MCM.

LITTERAS quibus SS. Iohannes D. N. Leo PP. XIII Universale Iubilaeum in ann. MDCCC indixit, aliae duae sequutae sunt, quae, licet pridie kal. Octobris ac XII kal. Novemboris datae, in vulgus tantum his diebus editae fuere.

Harum altera docet imprimitus Summus Pater maxime esse consentaneum catholicos homines vocatu Sedis Apostolicae Romam certa per intervalla temporum convenire, ut una simul et remedia expiandis animis in Urbe reperiant, et romanam auctoritatem praesentes agnoscant. Quod cum tam salutare ac frugiferum appareat, se sane cupere declarat, ut urbs Roma toto anno proximo maiore qua fieri potest frequentia mortalium celebretur: ob eamque rem peregrinationis romanae cupidis velut stimulos se additurum, admissorum expiandorum privilegia, quae liberalitate indulgentiaque Ecclesiae passim concessa sint, intermitte velle; quod alias etiam in similibus caussis cautum est. Itaque suprema Pontificis auctoritas indulgentias usitatas ad totum annum sacrum iubet suspendi; integras tamen ac immutatas permanere voluit et decrevit:

« I. Indulgentias in articulo mortis concessas;

« II. Eam, qua fruuntur ex auctoritate Benedicti XIII, quotquot ad sacri aeris pulsum de genu vel stantes *Salutationem angelicam*, aliamve pro temporis ratione precatio-nem recitaverint;

« III. Indulgentiam decem annorum, totidemque quadragenarum Pii IX auctoritate ann. MDCCCLXXVI iis tributam, qui pie templa visitent in quibus Sacramentum augustum quadraginta horarum spatio adorandum proponitur;

« IV. Illas item Innocentii XI et Innocentii XII de-creto iis constitutas, qui Sacramentum augustum, cum ad aegrotos defert, comitentur, vel cereum aut facem per alios deferendam ea occasione mittant;

« V. Indulgentiam alias concessam adeuntibus pie-tatis causa templum Sanctae Mariae Angelorum Ordinis fratrum Minorum extra Assisii moenia a vesperis calen-darum Augusti ad solis occasum diei insequentis;

« VI. Indulgentias, quas S. R. E. Cardinales Legati a latere, Apostolicae Sedi Nuntii, item Episcopi in usu Pontificalium aut impertienda benedictione aliave forma consueta largiri solent;

« VII. Indulgentias Altarium Privilegiatorum pro fide-libus defunctis, aliasque eodem modo pro solis defunctis concessas: item quaecumque vivis quidem concessae sint, sed hac dumtaxat causa, ut defunctis per modum suffragii directe applicari valeant. Quas omnes et singulas vult non prodesse vivis, prodesse defunctis ».

De peculiaribus insuper facultatibus, quae Episcopis, Tribunali S. R. Inquisitionis, Officio Poenitentiariæ Apostolicae tribuuntur, nonnullis constitutis atque sanctis, SS. Iohannes D. Noster his adamassim verbis concludit: « Iis exceptis, de quibus supra memoravimus, ceteras omnes et singulas indulgentias tam plenarias, etiam ad instar Iubilaei concessas, quam non plenarias, suspendimus ac nullas iubemus esse. Similique ratione facultates et indulta absolvendi etiam a casibus Nobis et Apostolicae Sedi reservatis, relaxandi censuras, commutandi vota, dispensandi etiam super irregularitatibus et impe-dimentis cuilibet quoquo modo concessa, suspendimus ac nulli suffragari volumus ac decernimus. Quocirca praesentium auctoritate Litterarum præcipimus ac mandamus, ut, praeter indulgentias Iubilaei, easque, quas supra nominatim exceperimus, nullae praeterea aliae uspiam, sub poena excommunicationis eo ipso incurrandae aliquis poenis arbitrio Ordinariorum infligendis, publicentur, in-dicentur, vel in usum demandentur ».

Alteris vero apostolicis litteris Poenitentiariis in Basiliis et Ecclesiis Urbis per Cardinalem Maiorem Poenitentiarium deputatis et Confessariis a Cardinali Urbis Vicario designandis, facultates, insolitae quidem lataeque, conceduntur, « cum eluere conscientiae labes poenitentia, et redintegrare Dei omnipotentis gratiam redintegratione

virtutum, is nimurum fructus sit Iubilaei maxime proprius ».

In votis est igitur Patris Sanctissimi, « ut poenitentes, cum sibi viscera misericordiae caelestesque thesauros undique reserari consipient, alacriores convertantur ad Dominum ac per Poenitentiae Sacramentum sese eidem reconciliare sollicite studeant »; quod omnibus sane futurum et nos ex animo ominamur.

TH.

ANNALES

Novum foedus inter Anglos et Saxones - Germanorum auctae copiae - Gallice classis peregrinatio expleta - Seditiones in Bohemia, in Iberia, in Sinis - Bellum in Aegypto, in Transvaal, in Venezeula, ad Philippinas - Urbanae res.

Dum fortuna belli, quod in ultima Africa geritur, danceps adhuc pendere videtur, obstupuerunt omnes, novum idemque potentissimum foedus, secreto hactenus latens, a Chamberlain, qui Anglicis coloniis praeest, inopinato esse revelatum, quod nempe, sumpta occasione a tripartitis feliciter Samoa insulis, Anglorum Saxonumque nationes, stirpis adfinitate necnon utilitate negotiorum impulsae, pro commerciis suis in orbem omnem iuvandis, diffundendis ac magis magisque augendis inierunt.

Hinc, si dictis consonant res, ceterarum nationum commercia brevi iri deletum non immerito plures opinantur, quod praecipue in Latinae gentis detrimentum vertetur.

Quamquam et apud plerosque Americanae Nordicae reipublicae incolas vehementes sunt protestationes obortae in foedus hoc, quod nimis temere et quasi ex suo poenu Chamberlain evulgasset; sed cum apud Germanos nec similes iras, nec denegationes audiverim, non dubito quin aliquantulum fidei enarratis tradere liceat.

★

Attamen, haud consonum forte visum multis, omni ope interdum Germanum Caesarem satagere, ut suas classes augeat quotidie, quod manifesto satis consilio nonnisi ad aemulandam Anglorum potentiam intelligitur esse cautum. Pergit enim, dum certi populi inani clamore consulunt atque sermocinantur, tutum Germanorum iter, qui profecto iam Carolinas insulas, ab Iberis magno pretio emptas, occupaverunt, et Samoa, quae sibi potissimum relatae sunt, tenere pariter sese accingunt. Immo eorum expeditio quaedam proxime ad Somalam, Africæ terram, appulsa, in Aethiopiam cito deveniet, quo et inibi patriæ commerciis provehendis viam inveniat.

★

Gallos inter et Russos amicitiam fuisse his diebus quadammodo renovatam, dicendum est; siquidem Fournier, navibus praefectus, ad Sebastopolim portum in Ponto Euxino, post Palaestinae et Constantinopitanae urbis visitationem, descendisset, et a Russorum nautis magna laetitia esset receptus. Sed et a Turcarum imperatore Gallus ille dux comiter habitus fuit; quare iam dictitant, Gallos a Turcis expostulasse, ut litus prope Ioppam in Minoru Asia sibi traderetur, quo telegraphica funis ex Massilia ad Madagascar insulam per aequora perducenda consistere inibi possit.

★

Haec inter funesta in venturum saeculum præsagia, seditiones et bella exardescunt ubique. In civitate Pragensi, Bohemi, qui comitium habuerant,

ut contra leges de sermonibus et linguis latas protestarentur, Germanorum domus iterum aggressi ferro et lapidibus, sunt militari manu repulsi; in Iberia, per Hispalenses vias similia impio ausu acciderunt, tumultuantur opera, qui in sacram supplicationem turmatim concurrentes et lapides iacentes, nonnullos etiam e monachis et ex populo vulnerarunt; in Sinarum provincia Chan-Fu, seditione gravissima odio christiana religionis iterum commota, et missiones multas depopulata est non sine fidelium nece.

★

De bellis vero postrema haec sunt: ad Philippinas Otis dux barbaros iterum superasse narratur, et Hoilo urbem cepisse; in Africano bello, quod contra falsum prophetam ad Sudan peragitur, Wingate bey, Anglorum tribunus, prope Gedid, hostibus occurrisse, et commisso praelio in praecipitem fugam eos vertisse, imo et Califa ipso occiso, eius castra ingentibus referta divitiis diripuisse. In Venezuelania republica perduellum copiae Caraibo urbem occuparunt; sed in navalii quadam pugna, eorum naves, socium navigium misere perfodit ac demersit. Ad Transvaal denique, incerta adhuc, uti diximus, fortuna pendet, praecipue prope Ladysmith et Colenso urbes et Modder flumen, quo circum Africanorum copiae magno numero coactae, Methuen, Anglorum ducem, ab itinere impediunt.

★

Dum vero tanta misero fato trahuntur, in Urbe Anni Sancti imminet inchoatio, et cum haec lectores perlegent, in Vaticanis aedibus consistorium habitum erit, solemniori, uti assolet, forma, in aula quae dicitur Regia celebratum. Cura autem sodalium e Catholica Italorum iuventute, qui Romae beati Petri nomine congregantur, in Ss. Apostolorum basilica, oratori a Resurrectione Domini dicti, ipso auctore Laurentio Perosio moderante, sacri concensus insontant; qui quidecum, tam fervido afflato ac tanta pietate concepti, tum Romanorum, tum peregrinantium animos, ad proximum iubilarem annum pie celebrandum, mira suavitate erigunt.

POPULICOLA.

PUBLICI PER ORBEM COETUS

LEGIBUS FERENDIS

In Americana Nordica foederata republica, Henderson, vir clarissimus, ut oratoribus populi in comitio praesit maximis suffragiis electus est.

In Argentina republica, administris suo munere se abdicantibus, est novum collegium suffectum, cui Albano, vir illustris, praeest, et Armenetes Errazuris pro negotiis cum exteris pertractandis est adscriptus.

In Austria impensa pro Hungaria et pro Austria in publicam rem conferenda fuerant tandem concordi consilio constituae ad annum usque 1910: at cum pactio haec coram Hungarorum coetu approbata esset, in Austriacis comitiis non eamdem sortem obtinuit, impedientibus praecipue Bohemis, a quibus maximus tumultus est hac de re excitatus; quare brevi coetum dimissum iri praedicant.

In Belgica oratores populi legem de electionum iure, quod proportionali mandato innititur, ratam habuerunt.

In Gallia coram oratoribus populi Delcassè, rerum ad exteris administer, magnifica oratione habita de legatione apud Summum Pontificem non abroganda, victore suffragio discessit, pariterque obtinuit ne pecuniae immunerentur in missionariorum ex exteris nationibus auxiliū publice constituae, itemque ut impensae gravissimae ad bellum cum Anglis forte parandum peractae, cum de Fachoda colonia exarsit dissidium, ratae haberentur.

In Italia pactio de Benadir, Africana colonia, inita in populari coetu est approbata, idemque de foedere cum Graecia composite ad commercia commutanda cautum est.

In Lusitania popularium oratorum electiones regis administris favorabiles evasisse praenunciant.

In Rumenia nova legislatorum sessio, habita a rege oratione, est solemniter inaugurata.

SCRIBA.

LIBRORUM RECENSIO

EMILIO CHIARINI. *La Voce del Pastore*. - Ex officina S. Bernardini, Senis, 1899.

Haud imparem ullis in vulgo cotidie prodeuntibus de religione libris hunc pene crediderim, qui in verbis concinnus est, idemque ad doctrinam, quae et virtutis et officii et bene vivendi disciplinam continet, quam maxime accommodatus. Scriptorem quem alii iisque probatissimis eiusdem generis opellis innotuisse satis constat, optima sacrarum rerum cognitione imbutum, in Patrum scriptis versatum et italic eloquii peritissimum planeque desertum fateor. Itaque claro viro vehementer gratulamur, de quo in incerto est, utrum magis bonis literis an legentium pietati consuluerit: utrumque scilicet est assecutus.

A. B.

AENIGMATA

I.

Incipit a primo cupiens didicisse puellus,
Qui nondum tenera alterius lanugine vernal;
Nunc humeris toto loculum suspendere gestit,
Illo post lateri suspendit fervidusensem.

II.

Totum si a toto studeas cor vellere, lector,
Adspicito! Aegeis insula surgit aquis;
At si dimidio cordis plus sumere nolis,
In galaea reliquum tunc rutilare vides.
Relictam sume, at cordis pars altera desit;
Quod superat, constat iura dedisse Thraci.
Integer ecce tibi subigas qui cuspide naves
Incursus hostis vel superare queas.

INDUS.

Ex sociis qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus gallice scriptum et figuris ornatum, cui titulus:

SYRIE ET SINAI

par M. JULLIEN.

Aenigmata ann. II, n. XX proposita his respondent:

1. Asso - Ossa.

2. Garum - na.

Rite soluta miserunt:

Ed. Bianco; Ages. de Aguiar, Roma - Ver. Cariolato, Vicentiiis - Ad. Artioli, Ferraria - Ioannes Mediolanensis - Ios. Rainer, S. Francisco - Hild. Guépin, S. Dominico de Silos ad Burgos - Seminarium Montis Regalis in Siculis - C. Meucci, Neapoli - P. Garrone, Pezzana ad Vercellas - Aug. Narquet, Monteloco in Gallia - H. A. Strong, Lyria - Ios. Capovin, Montebello Vicentino - Ant. Galiero, Aversa.

Sortitus est praemium:

P. GARRONE,

ad quem missum est opus, cui titulus:

L'ART MONUMENTAL

DE L'ASIE, DE L'ÉGYPTE ET DE LA GRÈCE

par L. CLOQUET.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE - Ex Officina Forzani et Socii.

- XIII. . . Ciceronis M. Tullii Orationes. Ed. MÜLLER. (Voll. 3).
 XIV. . . Ciceronis M. Tullii Epistulae. Ed. MÜLLER. (Voll. 2).
 XV. . . Ciceronis M. Tullii Scripta philosophica. Ed. MÜLLER.
 (Voll. 3).
 XVI. . . Eglogae poetarum latinorum. Ed. S. BRANDT.
 Id. graecorum. Ed. STADTMÜLLER.
 XVII. . . Gellii Auli Noctium Acticarum libri XX ex rec. M.
 HERTZ. (Voll. 2).
 XVIII. . . Historicorum Romanorum fragmenta. Collegit, dispo-
 sit, recensuit H. PETER.
 XIX. . . Orosii Pauli Historiarum adversus Paganos libri VII.
 Rec. C. ZANGEMEISTER.
 XX. . . Panegyrici Latini XII. Rec. AEM. BAEHRENS.
 XXI. . . Poetarum Romanorum fragmenta. Ed. AEM. BAEHRENS.
 XXII. . . Silii Italici Punica. Ed. L. BAUER. (Voll. 2).
 XXIII. . . Taciti C. Cornelii Libri qui supersunt. Rec. C. HALM.
 (Voll. 2).
 XXX. . . Divi Thomae Aquinatis Summa Theologica ad emendationes editiones impressa et accuratissime recognita. Edid. Romae
 Forzani et S. - Leo PP. XIII aureo numismate decoravit.
 XXXI. . . Divi Thomae Aquinatis Summa Philosophica contra Gentiles ad lectionem codicis autographi in bibl. Vaticana adservati,
 probatissimorum codicum meliorisque notae editionum fideliter impressa. - Romae, ex off. Forzani et S.
 XXXII. Biblia sacra vulgatae editionis Xysti V P. M. iussu recognita et Clementis VIII auctoritate edita. - Affabre renovarunt
 Desclée, Lefebvre et S.
 XXXIII. Novum Iesu Christi Testamentum vulgatae editionis Xysti V P. M. iussu recognitum et Clementis VIII auctoritate
 editum. - Affabre renovarunt Desclée, Lefebvre et S.

XXIV. . . Valerii Maximi Factorum et dictorum memorabilium
 libri IX, cum Iuli Paridis et Ianuarii Nepotiani epi-
 tomis. Rec. C. KEMPF.

XXV. . . Varronis M. Terenti Rerum rusticarum libri III. Rec.
 H. KEIL.

XXVI. . . Christus patiens. Tragoedia christiana ex rec. I. G.
 BRAMBS.

XXVII. Vitae Sanctorum novem metricae ex codicibus Mona-
 censibus, Parisiensibus, Bruxellensi, Hagensi saec. IX-XII.
 Ed. GUIL. HARSTER.

XXVIII. Epistolae selectae virorum clarorum saec. XVI-XVII.
 Ed. E. WEBER.

XXIX. . . Manutii Pauli Epistulae selectae. Ed. M. FICKELSCHERER.
 Mureti M. A. Scripta selecta. Ed. I. FREY. (Voll. 2).

(Quae opera omnia prodierunt Lipsiae ex officina Teubne-
 riana).

Subnotationes atque praepositi praemii indicatio recto tramite mittantur ad **Vox Urbis** com-
 mentarii administratorem, **Roma, via Alessandrina, 87.**

PER ORBEM

Nescio equidem cui tribuam adeo **eventibus**
ieiuna horum dierum **diaria** esse evulgata, nisi
 Transvaaliani belli vicibus id adscribam, quas om-
 nes intentis oculis ita respicunt, ut iam nihil aliud
 perlegeret avidi videantur. Quare ephemeridum
 paginae nullis aliis delectari quam bellicis illis
 commentariis, quamvis eorum unum idemque
 fere semper fatum maneat, commenticia praelia
 lectorum curiositatibus praebere, quae post aliquot
 dies in pescem desinant.

tironibus vero bis centum qui posteriores currus
 repleverant fortunam succurrisse; e curribus enim
 suspensis vel in ponte manentibus, eos in culmes
 egrandi potuisse, et nonnisi magno terrore com-
 motos ad sua castra reverti. Neque ab incendiis
 quidem Germanis parcitum est; nam fodina
 quaedam apud Oberhausen ignita vi repente est
 invasa, quae, successis trahibus et instrumentis,
 effossores fumo flammisque forte oppressisset, nisi
 illi sese fugae protinus commisissent, ita ut
 brevi in apertum aerem egressi, salutem suam
 prodigio adhuc adscrabant.

¶

Salus autem milii in mentem revocat **Ame-
 ricana** illa **solemnia**, ducis clarissimi Booth,
 qui exercitu a salute dicto terra marique praestet,
 recens peracta. Qui vir cum septuagesimum ae-
 tatis annum attigisset, exercitus copias septua-
 ginta millia militum numero augeri ad rei me-
 moriam sibi in votis esse declaravit, pariterque
 etiam septuaginta millia exemplarium sua sectae
 ephemeridibus superaddi, pecuniam denique sibi
 colligi libellarum septuaginta millia.

Nescio an haec vota vir optimus expleta vi-
 derit; at si licet parva compонere magnis, ipse
 etiam lectores meos in futurum annum iussos
 velim; ut nempe aures **Voci Urbis** benigne praebentes,
 commentario huic nostro totidem socios
 addere, totidemque opes comparare satagent.
 Ecquis enim dubitet quin exercitus ita humanioribus
 litteris artibusque instructus omnibus saluti
 sit futurus?

sole exsiccatis, pinguecant, ita porro ut vel ji,
 qui physi laborant, penitus convalescant.

Apud sinenses medicos praedicatur **Alexi-
 pharmacum** hoc, tantique fit, ut Packoi portus
 in Sinensis imperii provincias, anno superiore
 174626 lacertas arefactas demiserit, quarum
 maximam partem regiones Nan-Ning et Kou-
 ang-si pertulere. Ibi enim venatu assiduo et
 immisericordi bestiolae huiusmodi comparantur.

*

Nova carbonis species.

Apud Manheim quidam Montog operarius
 novam invenisse traditur carbonis conficiundi
 rationem, mixtis proportione sua terra, lignis ac
 detritis quibusdam supervacaneis. Fertur eius-
 modi carbo ceteris praestare, nam calorem prae-
 ceteris offert, etsi mineralibus et fossilibus, neque
 odores efferre graves naribus, neque grandia
 spatha complere, mole parvus, acerrimus vi. Tum
 Societas, decies centenis **markorum** millibus
 praeolutis, constituta est, quae officinam ad
 fabricandum aedificet, mox officinas alteras ubi-
 que conditura, quibus minoris carbo vendatur.

*

Adamantini dentes.

Cuinam? Americano cuidam pugillatori do-
 nati sunt, qui contra adversarium impetum fa-
 ciens tali percussus est pugno, ut omnes fere
 dentes e maxillis perfractis una cum sanguine
 expueret. Qui partis huius erant, heroem suum
 honestarunt egregio dono dentium adamantino-
 rum, quos ore, aptatos serie, deferret. Non equi-
 dem in video, diceret Virgilius. Ecquid si homo
 iste risu labra dissolvat adversus lucem? Gestabit
 iridem in ore. Proh miseram Thaumantiam!

Ferunt illic ubique gentium morem ita, quoad
 subrogandos et substituendos dentes, invalescere,
 ut circiter quadragies centena dentium millia in
 regione Saint-Louis vendantur quotannis.

P. d. V.

VARIA

Quid inter feles et homines?

Hoc. Feles, etsi pingues, comes lacertulis
 macrescent, atque ita macrescent, ut nonnulli
 exinanitione moriantur absumpti; homines, ius-
 culo facto ex lacertulis sive recentioribus, sive

At subdet fortasse quispiam, **Germanis similia**,
 immo graviora sua patriae contigisse. Noviplane:
 apud Tiflisum, militum vaporitrahā ex ponte
 sese dedisse praecepit in Kursium flumen, ut ma-
 chinarius et clibanarius opifices demersi obierint;

T. G. FRATRUM PARISI Candelarum ad Sacra Opificium praemiis insigne

AB ANNO 1829 CONSTITUTUM



* ROMAE in ITALIA *

AB ANNO 1829 CONSTITUTUM



In Foro Campi Martii, 6



Singulis in artium recognitionibus publice habitis
maxima relata munera

Leo PP. XIII honores addidit

Lateranensi Archibasilicae, itemque Vaticanae, quoties de Beatificatione aut de Canonizatione
solemne sit, suppeditat.

Nullo impedio iubentium res in proximiorem a potentibus designatum portum defertur.

Gratuito pariter, quae mittuntur, arca asservantur.

Cuivis querenti explicatio erit uberior.

Praecipua Templa cereis instruit ubique ter-
rarum. In Asiam, Africam et urbem Constantino-
polim mittit ingentia rerum huiusmodi pondera,
pretio *francs* 180 pro singulis 100 Chilogramm.

Si vero ab America aut ab Australia petantur
onera (300 Chilogramm. *ad minimum*), pretium erit
francs 250 pro 100 Chilogramm.



FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE

COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO

Veneunt apud comm. VOX URBIS Administrationem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 X 0.24)

qui sociis commentarii VOX URBIS dono datur,

venit singillatim L. 2.50

apud comm. VOX URBIS Administrationem.

SI QUI PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA

EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

Romae = Desclée, Lefebvre & S. = Romae

GIUBILEO DELL' ANNO SANTO 1900

MANUALE DI PREGHIERE

PER LA VISITA

ALLE QUATTRO BASILICHE

Editio expolita, laudibus et benedictione donata a Summo Pontifice.

Id. gallica lingua: venit . . . cent. 50.

Id. anglica lingua: venit . . . » 60.

Guida del Pellegrino a Roma

Recognovit P. BONAVENIA S. J.

Venit Libell. 1.50 — Anglica tela relig. Libell. 2.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

ROMAE - Via Alessandrina, 87.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

P. FRANCISCI TONGIORGI, Societatis Iesu, *Inscriptiones* editae cura P. CAESARIS DE ANGELIS, eiusdem Societatis. — Romae, apud scholas Pont. Seminarii Rom., MDCCCIC.

Dr. P. CABRINI. *Piccola sintassi razionale della lingua latina*. — Mediolani, edidit E. Trevisini, 1899.

A. BARTOLI. *La lingua e la metrica di Virgilio*. — Pistorii, ex officina Iosephi Flori, 1900.

D. PIANAROLI. *Arborum festum. Ecloga*. — Drepani, ex off. I. Gervasi, 1899.

M. TULLII CICERONIS *Oratio pro Rege Deiotaro*. Testo e commento di ADOLFO CINQUINI. — Aug. Taurin., edidit I. B. Paravia et S.

AMELIA TERRABUGIO. *La giovinetta cattolica. Consigli pratici*. — Mediolani, edidit I. Agnelli, 1899.

IANUARIUS ASPRENAS ROCCO. *Beata Maria Virgo Mater Divinae Gratiae. Carmen Sapphicum*. — Neapoli, ex off. Regiae Scientiarum Academiae, 1898.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS ANN. MCM (Vid. in secunda operculi pagina).